

expresso præfixus sit, a mero partium arbitrio dependet.

---

## CAPUT XXVIII

### *De Aresto personali.*

§. 299

**A**nte litis decisionem executio quidem concedi non potest, arestum tamen, id est prehensio personæ contra illos locum habet, qui velut ceteroquin vagi, ac domicilio destituti de fuga ob contractum æs alienum suspecti fuerint, de quibus solis proinde dispositio totius hujus capitis intelligenda venit.

§. 300.

Si in hoc casu prehensionem debitoris implorans talia documenta adduxerit, quæ, si a debitore recognita essent, vim plenæ probationis contra eundem obtinerent, arestum sine dilatione concedendum est.

## §. 301.

Quodsi Actor documenta ad probandam actionem sufficientia non attulerit, arrestum solummodo decernendum est, si idoneam ille cautionem præstiterit, per quam redemptioni injuriæ, ac damni adversario forte competenti prospectum sit.

## §. 302.

Arestum personale ab illo Judice tantum decerni potest, apud quem eum, contra quem peritum fuerit, convenire licet; nisi ob fugam ipsius, vel proximam, vel jam arreptam periculum in mora esset.

## §. 303.

An is, contra quem arrestum decretum fuerit, domi suæ custodiendus, an vero in publicum arrestum transferendus, vel qua demum ratione illius custodia mandanda sit, prudenti Judicis arbitrio relictum esto; a consueta tamen custodia semet exempturus expensas de tempore in tempus in antecessum solvere debet.

## §. 304.

## §. 304.

Quandocunque arresto constrictus actori de præensione ejus cautionem præstiterit, arrestum relaxandum est, etiamsi cautio duntaxat in calum præstita fuisset, quo arrestum passus aufugeret, vel se occultaret. Sin vero dubium enatum fuerit, an cautio oblata sufficiat, quæstionem hanc Judex audita utraque Parte, quam celerrime definito, huncque in finem ibidem pro re nata diem dicere jus esto.

## §. 305.

Quoties actor una cum petitione arresti formalem libellum Judici simul porrexerit, controversia sine dilatione, atque si fieri possit, intra triduum definiatur; si vero formalis libellus simul exhibitus non fuerit, actor eundem intra 14. dies etiam non urgente debitore arrestum patiente porrigere debet.

## §. 306.

Sin libellus debito tempore porrectus non fuerit, arrestum ad postulationem alteri-

us , qui illud subierit , statim resolvendum , eidemque æqua satisfactio pro ignominia ac damno illato adjudicanda est , id quod etiam tum locum habeto , si cognitum fuerit , actionem illius , qui arrestum petiit , fundamento destitui.

---

## CAPUT XXIX.

### *De Inhibitione rerum mobilium.*

#### §. 307.

**E**odem modo creditori facultas esto , bona mobilia ad debitorem suum spectantia , atque a tertio detenta Inhibitione judicialia afficiendi : tum vero solum , quum Creditor ob defectum aliarum facultatum , quibus Debitor ipsi solutionem præstare queat in periculo erit ; Cujus remonstratio velut necessarium requisitum in toto hoc capite præsupponitur.

#### §. 308.